


parit. Utrum verò in ambob. uteris eodem tē-
pore semē immittatur ab utroq; pene, an quā-
doq; uno uni, quandoq; altero alteri, sive ab
alterutro genitali proijciatur; incertum pror-
sus omnibus est hucusq;.



DE VIPERA COEUN-
te cum masculo.

C A P. XVI.

RIMA hæc tabula coeuntis cum
masculo Viperæ, sicuti reliquæ
serpentes faciunt, verè apposita
est, ut facilius dignosceretur, fie-
ri non posse, ut mas à Vipera ita facilè occida-
tur dum coit; neq; enim verum est, semen ex
ore accipere, quod revera per penem subtus
immittitur, à Viperæ vulva ad uteros ingres-
sus. B Masculi penes duplices, in quibus expli-
candis majorem in Aristotele diligentiam re-
quisivissem, præcipuè etiam in testibus & vasi-
bus seminarijs, quæ in serpentibus esse dene-
gavit. Hæc est figura communis coeuntium
serpentum, qui sive erecti super terram, sive
itrati, hoc certè complexu cohærent, & Ari-
stoteles meminit, & Plinius.